

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS *manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigesimâ-septimâ* *Aprilis* M. DCC. XLI.

M. HENRICO-FRANCISCO BOURDELIN, Scholarum Professore, Doctore Medico Præside.

An Arthritidi præcavendæ lactis diæta?

I.



INTER complures morbosos affectus, quibus mortales conflictantur, paucos reperias, qui Arthritide importuniùs desæviant. Hic morbus in articulis, undè nomen trahit, fidam sibi stationem ut plurimum seligit, dùm nempè sancitis à naturâ legibus obtemperat, nunc hos, nunc illos, modò plures, unum modò articulum infestans. Varia pro variis, quæ affligit, membris nomina sortitur: si pedem Podagra, Ischias si coxendicem, si manum torqueat, Chiragra audit. In alias autem membrorum commissuras evagatum generico nomine Arthritidem vocant. Hanc, non secùs ac alias, quibus obnoxii vivimus, ægritudines, gignit perversa, Hygieinesque minus obsequiosa præceptis rerum non naturalium administratio: hinc perspirationem præpeditam, acte toleratum frigus, epulas lautiores, vinum generosius, justo liberaliùs haustum, maturam nimis effrœnamque venerem, & alios hujusmodi errores excipit sæpius, castigatque Arthritis: quin immò & in litteratos, sobriis licet castisque moribus præditos, at in excolendis scientiis, lucubrationibusque protrahendis parum temperantes inclementiùs animadvertit, musis etiam iniqua lues. Nec solos adoritur, quos malè morata vivendi ratio ejus ditioni meritò addixit, à parentibus in insontem quoque progeniem hæreditario jure transmissa, patrum delicta luere cogit immerentes natos. Non omnem ætatem, aut sexum pariter impetit: Mares potissimùm, eosque juventutem prætergressos aggreditur; fœminas raro malè habet, præsertim dum menstrua patiuntur, rariùs infensa pueris & adolescentibus: nullo non anni tempore se se exerit; at Veris Autumnique vices sequi, recidivaque amat ingruere: non enim pro consueto morborum ferè cæterorum more, quos semel aut aliquot vicibus detinuit, sui in posterum finit futuris immunes; verùm redeunte Veris tepore, æstivosque calores fugante Autumno, pe-

riodicè quaſi ex condicto recrudeſcit, idem, immo ſæpè & eò acerbius, quò pluries recruduerit, dolorum vectigal, exigit, niſi maturam opem tulerit Medicina. Invadentem hæc ſigna vulgò comitantur & arguunt Arthritidem. Ingens in articulo dolor exoritur, incaleſcit, tumet pars ægra, rubroque colore inficitur: non tamen cuicumque parti inſederit Arthritis, hæc omnia ſimul juncta ſibi adſciſcit ſymptomata. Eſt ubi quædam ex memoratis ſignis aut parum, aut etiam nullatenus fiant conſpicua: ſic humero, coccigive inhærens rarò tumorem, rariùs calorem ruboremve parit; in genuum cubitorumque articulos delatam prodit inſignis quidem tumor, levis autem comitatur calor, minimaque rubedo; ubi verò pedem, aut manum corripuit, juncto enarratorum ſymptomatum ſatellitio ſtipatur. Dolor quem, quocumque irruperit, indiſſociabilem ſecum trahit comitem, ubique pari penè feritate torquet ægrotantem, nunc lacerantes canis rodentis morſus, nunc lentos coarctantis ferri cruciatus, aliquando perfodientis gladii lanienam, aliàs igniti carbonis oſſa terebrantis, imamque depaſcentis medullam ſupplicia æmulans; ita ut præ doloris immanitate vel leviſſimorum, quæ laboranti membro ſuperincumbunt, integumentorum pondus tolerare, aut ipſius à fortiore inceſſu contremiſcentis cubiculi commotionem ferre impar omnino fiat ægrotans; cujus miſeriis cumulum addit irrequieta corporis jactatio, qua dum novum, dolorique, ut retur, levamen allaturum ſitum fingit moliturque, non modo dolorem non levat, verum indeſinenti affectæ partis agitatione, malo vires indeſinenter addit & incrementum. Quid mirum, ſi tam diris modis vexato corpore, in malorum ſocietatem acceſſita mens quoque ægrotare videatur, & æger moroſus fiat, ac levi quaque de causâ in iram pronus? Quid mirum, ſi Arthritidis exacerbationem iracundiæ paroxyſmum nonnulli dixerint. Nec ſolâ dolorum acerbitate miſerum plectit ægrotantem. In iis, quos ingeminatâ paroxyſmorum ſævitiâ diu mulctavit, memores ſui notas, relinquit nodos, tophaceoſque tumores, quibus inter articulos excreſcentibus, ſolutâque colligantium tendinum vi, non fœdo minùs ſpectaculo, quàm damno vix reparabili, membris ſua invertitur & deturpatur indecorè figura, ſuuſque uſus deletur. Ea eſt inſuper illius morbi perverſiſſima indoles, ut extimis, ad quas naturæ juſſu videtur relegari, partibus ſua jura coerceri impatiens, in intima nonnunquàm irrumpat, ſæpius non eluctabile illaturus exitium. Dum enim ſolis articulis bellum indicit, ſæva quidem, at pertimeſcenda minùs vulnera, nec ultra paroxyſmum duratura infligit: ubi autem relictis corporis pomœriis, ad viſcera ipſiuſque vitæ fomitem iter ſibi molita eſt, nullam non morbi ſpeciem mentitur, nullum non mortis genus acceſſit lues devia: hac enim in cerebrum delatâ, aut corruit apoplecticus, aut phreneticus furit, epilepticuſve convellitur, vel alio quolibet corripitur morbo, quem parit vitiata cerebri compages, ſæpiſſimèque perit ægrotans. Si thoracem invaſerit, peripneumonias, pleuritides, ſyncopes, aut alios demum læſis in thorace contentis partibus ſolemnes morbos exprimit, invehitque ut plurimùm lethales: in abdominis cavum delapſa, prout hepar inteſtina, ventriculum, renes, aliudve labe ſuâ viſcus infecerit, propriorum hiſce partibus ſymptomatum larvâ ſuum malè diſſimulans genium, ipſis quandoque incautis medentibus imponit, & ſæpius non declinandam ægro perniciem machinatur. His tot fœtam malis Arthitridem gignunt liquidi in articulis minima tendinum, membranarum, perioſtei vaſcula ægriùs perreptantis, nerveaſque fibrillas vellicantis acrior indoles, ſpiſſiorque craſis, hincque dependens fibrarum nimia rigiditas.

II.

PRO vario rerum non naturalium abuſu, diverſam fluidarum ſolidarumque ſuarum partium alterationem pati, atque in morbos inclinare, & ruere corpus humanum neminem latet. Diverſis etiam acceſſendis ægritudinibus non parum favere varia temperamenta, ſexus, ætates nullus pariter neſcit Medicus; Illud etiam palam eſt & apud omnes ſinceræ Medicinæ præceptis informatos conſtat, quod morborum curatio vel prophylaxis infida ſemper evaſura ſit, niſi priùs indagatis, penitiuſque cognitis eorum cauſis nitatur. Quiſquis igitur recidivos Arthritidis impetus præoccupare molitur, is genuinam illius morbi cauſam inveſtiget, inditum nempè ſolidis & fluidis partibus vitium peculiare, Arthritidique gignendæ opportunum ſcrutetur attentiùs: hujus ut exploratam & certam cognitionem aſſequatur, quodnam vitæ genus egerint, quos laceſſit Arthritis, quid contra hygieinem peccaverint ſedulus perpendat. Ex antehabito regimine perverſo ſpiſſiorem craſim acrioremque naturam hauſiſſe liquida, ſolida nimium rigorem traxiſſe profectò comperiet. Hanc tùm fluidis, tùm ſolidis partibus inuſtam labem declarant, quæcumque ſævientem Arthritidem ſymptomata comitantur. Undè nam enim ſoboleſcunt, quæ ſecum invehit ille morbus, inflammationis ſigna, præſertim ubi pedem corripuit? Nonne hæc gignit parum mobilis humor, qui pedis ligamenta, membranas, ipſumque perioſteum ægre permeat, in eorum vaſculis ceſpitat, moratur, eaque infercit? Quorumquidem exiliſſimas diametros eò faciliùs obſtipat, quo iis in locis ſegniùs à longè diſſito corde protruſus, inertiori prorepit motu, & ideò majorem adhuc lentorem lubentiùs contrahit. Ergò ſiſtens inibi impactuſque humor, & ab appellente jugiter ex arteriarum finibus cumulatior factus, canaliculos ampliat, & ultra ſuum tonum exporrigit: hinc diſtendi, ſtimulari criſparique fibras nerveas, vaſorum ſanguinem vehentium arctari extrema, operoſiùs fluere, nectere moras, ſtare demum cruorem neceſſum eſt. Dolere igitur partem ægram, tumere, tendi, rubeſcere ne mireris

Præterea quid aliud, quàm liquidi minima vaſcula præterlabentis ſpiſſitatem arguunt teſtanturque illa gipſeæ materiæ concrementa, tophaceique tumores, quibus vel uti totidem anchyloſibus, eorum, quos longa exercuit Arthritis, ferruminantur articuli? Jam verò quis humoris Arthritici acredinem ex immani, quo torquetur ægrotans, cruciatu non conjicit? Cui perſpectam illius acerrimam indolem, vimque corroſivam non facit deleta (referente Liſtero) perioſtei, & ipſiuſmet oſſis exeſa nonnunquam ſubſtantia? Ad hanc producendam luem, ſuum quoque ſimbolum conferre fibras rigidiores, ex eo jure concluſeris, quòd in eos potiſſimum deſæviat, quorum fibris ſtrictiorem texturam, nimiamque rigiditatem aut ætas, aut anteactum vivendi genus aptum eſt inducere. Non enim pueros & adoleſcentes invadere conſuevit, vel fœminas quibus adhucdùm fluunt menſtrua; in iis ſi quidem mollior & flexilior fibra liberum ſinit fovetque ſuum liquidis circuitum: inde eſt etiam quod ab Arthriticis inſultibus ævum immune caſtrati degant, felicique illius ignoratione morbi aliquatenus virilitatis ſuæ jacturam ſolentur; in viros ſenilem præſertim, aut ſaltem maturam aſſecutos ætatem, comeſſatores, immodicam venerem ſectatos, melancholicos, altioribus ſtudiis operam dantes, nimiiſque ingenii laboribus exhauſtos debacchatur. His hominibus plus æquo rigere fibras nullus ſanè inficiabitur, quiſquis vel mediocrem nactus fuerit animalis œconomiæ peritiam.

III.

INSTITUENDÆ morborum prophylaxis non unam Medicina viam recludit. Ad hanc felicibus ineundam auſpiciis, quid variè temperatus aër conferat, quæ ſint in alimentorum delectu & uſu cautiones adhibendæ; quænam demum proficua ſit & imminentes ægrotationum inſultus par amoliri, cæterarum rerum non naturalium adminiſtratio Medicum docet. Ex his tamen pluribus mediis, quibus longiorem ſanitatis uſuram promittit, non alio voti compotem certiùs fieri te poſſe confidas, quàm ſi iis, quas circa ſervandam in victu regulam ſancit, legibus auſcultaveris: earum ſi quidem adminiculo cognitas morborum cauſas tollere, pravam nempè humorum diatheſim immutare, vitiatam ſolidorum compagem reſarcire te penes erit. Ingeſtis enim indolis requiſitæ alimentis legitimum confici chylum; affluentibus genuini illius chyli opibus ditatum, novam melioremque naturam trahere ſanguinem, & puriori defluere alveo; ex hujus ſic renovati ſanguinis gremio ſinceriores, & contractæ labis oblituros, ſuumque ſolidis juſtum reddituros elaterem, humores ſcaturire, nemini non eſt perſpicuum. Rite igitur præſcriptæ diætæ beneficio intimiùs latitantia morborum ſemina ut plurimùm emendari, quin & ſæpiùs omnino intercipi debere, quis non intelligit? Ergò quantæ ſit molis, in auſpicanda morborum prophylaxi, congruam, delinquentiumque tùm fluidorum tùm ſolidorum emendatricem vivendi normam præſcribere nemo non aſſequitur. At ea eſt aliquando perverſiſſima morborum indoles, ut altiùs defixas eorum radices ſolius ope regiminis evellere fruſtra nitaris. Non ideò tamen irritam nulliuſque momenti habendam eſſe diætam exiſtimes. Auxiliorum ferax Medicina è Chirurgiæ Pharmaciæque promptuario alia ſuggerit præſidia, quibus non ſatis validas regiminis vires juvare poſſis atque corroborare. Quicumque igitur ex Arthritide recreatus à reverſuro illius paroxyſmo ſecurum te & immunem in poſterum præſtare cupis, ad alimentorum delectum præſertim attendas, in quibus ſeligendis perpetuam hanc ſerves regulam, quæ cauſas Arthritidis aut proprio marte extenuare, penituſque profligare poſſit, aut ſaltem unà cum medicamentis eidem ſcopo collimantibus conſpirare, ſociaſque vires adjungere valeat. Huic igitur manciperis regimini, cujus ope fluida lentorem ſuum ſuamque acrimoniam dediſcant, ſolida debitam ſibi mollitiem nativamque flexilitatem recuperent. Sic ſublato fomite, deletiſque omnino pervicaciſſimi illius morbi rudimentis, ab ejus ſævitiâ fies incolumis. Fortunatam verò hanc ſortem non affectaveris incaſſum, ſi te ultro lactis diætæ obligaveris.

IV.

LAC ex oleoſis, gelatinoſis & ſeroſis, ſeu aqueis partibus coaleſcere norunt omnes. Variæ lactis ſpecies diverſâ harumce partium proportione inter ſe præſertim diſcrepant. Sic quæ ſeri quantitas in aſinino lacte oleoſarum gelatinoſarumque partium copiam longè ſuperat, hanc in caprino magis æqualiter temperat, in vaccino minùs diluit, nec omnino adæquat. Hinc prout aut inſultus arcendi aut exterminandæ poſtulant morborum relliquiæ, tria hæc lactis genera pro re natâ in uſum veniunt. In eradicanda tamen Arthritide vaccino lacti non infimas meritò contuleris. Quænam enim in præſcribendo, morbum hunc anteverſuro, victûs regimine gerenda Medico ſparta incumbit? Illa nimirum, ut & proſpiciat corporis nutrimento, & ejus fluidis ſolidiſque partibus illatas à perverſo vivendi genere noxas reſarciat. Porrò quis gemino huic ſcopo collimaturum, & in nutriendo pariter, ac in medendo jucundè proſperèque ceſſurum lac non animadvertit? Nonne enim ſeroſa lactis portio craſſos, ſuoque defraudatos ſero humores, interpoſitis ſuis partibus aqueis diluet, eorum globulos ſalium rigidis cuſpidibus graves, & ſecum concatenatos, motuique idcircò ineptiores ſuo interventu ſic dividet, atque ab invicem ſemovebit, ut ſalibus jam uberiori liquido innatantibus, & ab humorum complexu diſtractis, ſua redeat humoribus requiſita moles, ſuuſque prætermeandis canaliculis idoneus reſtituatur fluiditatis gradus? Non ne eoſdem ſales ramoſis ſuis partibus involvet, eorum cuſpides obtundet, vimque ſtimulatricem prorſùs enervabit pars lactis oleoſa? Non ne demum tùm ſeroſis tùm oleoſis lactis

partibus mutuam conferentibus operam, emollitæ oblinitæque fibræ suum recuperabunt elaterem & naturæ consonas oscillationes redintegrabunt? E gelatinosa verò lactis portione nec tenuem, nec jejunam alimenti materiem suppetere quotidiana commonstrat observatio. Quot enim causarii, à morbo vix liberati obscuras dubiæ adhucdùm sanitatis scintillulas beneficâ lactis ope fovent, alunt, confirmant; ita ut qui macie fere perditi modo videbantur, vivifico lacte aliquandiu proluti, jam opimum corporis habitum, roburque pristinum denuo consequantur! Quot nostratibus adeò lacertosis, laborumque patientibus rusticis lac, aut sincerum, aut variis paratum modis maximam nutrimenti partem suppeditat? Præterea illud habet emolumenti diæta lactis, ut quando præ mitiore sui indole, nimisque refractariâ morbi naturâ, exoptatam sola non potest metam assequi, cum remediis Arthritidem acriùs oppugnaturis misceri se libenter patiatur, eorum administrationem juvet, vires moderetur, & prosperos magis effectus certioresque spondeat: quæ enim Arthritidi penitiùs exstirpandæ Medici solent usurpare sudorifera, diaphoretica, aromatica, purgantia, & reliqua hujusmodi remedia crassiores humores terere & subigere, nocivasque eorum partes per cutis poros, aliasque aliarum excretionum vias eliminare quidem possunt; at salinis & resinosis, unde suam vim mutuantur, cùm sint fœta particulis, fluidorum acrimoniam & fibrarum rigiditatem nedum tollant, immò ulteriùs intendant necessum est, nisi eorum attemperaverit energiam rexeritque in cibis deligendis prudenter instituta ratio. Hoc munere lac probè functurum, ex iis quibus constat partibus facilè colligas, nec est quod congestis rationum momentis illud probare operosiùs enitamur. Quid plura? Præcavendæ Arthritidi lactis diætam, & agnoverunt opportunam plures ex antiquis recentioribusque Medicis, & præsentissimam experti sunt, quotidieque experiuntur plures passim ægrotantes, quos ab immanitate pessimi illius morbi feliciter vindicavit.

V.

NON immeritò recensitum à nobis inter Arthritidis causas humorum lentorem fatebitur, quisquis ea perpenderit symptomata, quibus imminens podagræ portenditur insultus. Cur enim hebescit & languet appetitus, cruditates congeruntur, ructus erumpunt, corpus fit torpidum & grave, alvus solito magis comprimitur, nisi quod est sanguinis adeo spissa crasis, ut per majores arterias lento motu delatus, segniùs adhuc per exiles arteriolarum tubulos feratur. Hinc vitiato, unde cæteræ pendent secretiones, sanguinis circuitu, non mirum si parcior fiat succi nervei secretio, proindeque viribus imminutis, major corporis gravitas & torpor exoriantur. Eâdem de causâ minùs bene per actis succorum chylo conficiendo inservientium secretionibus, languescere appetitum, crudos humores congeri, & reliquos ab alimentorum læsâ digestione sobolescentes affectus ingruere necessum est. Cur impendente Podagrâ, in ægrotaturo pede sistit qui solebat humor perspirare, venæ turgescunt, & in varices diducuntur, in femoribus oriuntur anxietates, & quasi descendentes per femorum musculos flatus persentiscuntur? Cur denique detractum Arthriticis cruorem tegit crusta, pleuriticorum sanguinem obducentis pelliculæ æmula? Nonne hæc phœnomena pro totidem habenda sunt argumentis, quibus memorata sanguinis humorumque crassior diathesis evidenter demonstratur? Lactis diætæ non ita strictè obligandos esse Arthriticos innuimus, ut lacte duntaxat vescantur: huic possunt admisceri vel incoqui panis, oryza, farina, & alia hujusmodi demulcentia, quibus aut lactei regiminis, si quod irrepserit, tædium fallatur; aut altrix ejus, si minùs sufficerit, virtus augeatur. Adhibendas in seligendâ, usurpandâ, protrahendâque lactis diætâ cautiones & explanare foret prolixius, & aliundè quotidiana Medicorum praxis uberrime docet. Forsitan objiciet aliquis Arthriticorum viscera nonnunquam adeò debilitari, ut ingerendam in nostro regimine lactis copiam ferre & probè digerere nullatenus valeant. Quæquidem objectio quàm parum nostram infirmet sententiam, facilè comperies, si vel leviter attenderis 1°. lac maximè eupeptum esse alimenti genus, utpote quod in visceribus animalis primam coctionem jam perpessum fuerit. 2°. Ex eodem lacte salubertimum, quantumlibet delicatulis, infantibus nutrimentum parari. 3°. Etiam si lac digerendum aliquid, ut nonnunquam contingit, negotii facesceret; ea tamen suppetere non unius generis Medico remedia, quibus eò faciliùs huic incommodo obviam iturus est, quod eorum ope simul & roborandis visceribus, & expugnandæ morbi causæ feliciter poterit allaborare. Non quidem inficiamur, eam nonnullis à naturâ inditam esse temperiem, ut iis lacte prorsus interdici debeat: verùm non ideò culpandum lac, meritòque repudiandum concluseris, aliàs eodem titulo vel præstantissima tùm alimenta, tùm medicamenta vituperari & exulare deberent. Inconcussa igitur nostra maneat assertio, quam certatim evincunt ratiocinium, authoritas, experientia.

Ergò præcavendæ Arthritidi lactis diæta.

Proponebat Parisiis JOANNES-FRANCISCUS ISEZ, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.